

Pri. 16. Mus. 13.

1757, 6
b
8

12.
GEORGII AVGUSTI TOPPII
L. V. D.
DE
FIDEIVSSORE
VSVRAS SOLVENTE
ET NON SOLVENTE
PROGRAMMA
LECTIONIBVS
PER SEMESTRE AESTIVVM
HABENDIS PRAEMISSVM

HELMSTADII SAXONVM.



GEORGII AUGUSTI GOTTHE
LUDVICO VITALE
CARUS SOLVANT
NON SOLVANT
HEDIBRANIA
EX COTYLOS
MAYORUM
HEDIBRANIA



Fidejussorem ad solutionem teneri, si principalis debitor solvere nequit, omnibus ex principiis juris et secundum Parroemiam illam: Bürgen müß man würgen, jamjam constat; Sed an et quando ad usuras conveniri queat fidejussor, inter DDres disputatur, et mirum quantum variant. Quidam fidejussorem in hoc vel alio casu saltim ad usurarum praestationem obligant, quidam vero fidejussorem omni tempore ad solven-

das usuras adstringunt. Videamus, in quantum hisce paginis fieri potest, rationes in utramque partem, quibus perlustratis, nostram adjungere sententiam studebimus. Militat pro priori sententia L. 10. C. de fidejussoribus et mandatoribus verbis:

*"Fidejussor seu mandator, si in usuras quoque
„obligatus est, justam causam recusandi
„eas solvere non habet."*

Patet ex hac lege conditio, sine qua a praestatione est immunis, et videtur, regulariter fidejussorem ad solvendas usuras non posse compelli. Distinguunt autem DDres circa hanc materiam, ut *Brummiemannus* ad hanc legem. Aliud enim est, si fidejussor accedit contractui bonae fidei, aliud si accedit stricti juris conventioni.

Stricti juris negotio accedens, ad solvendas usuras nullo fere modo secundum jus Romanum tenetur, et unicus tantum casus exceptionem praebet, si nempe in tali negotio a principali debitore expresse usurae promissae, et fidejussor in omnem causam fidem suam adstrinxit. Quid autem per omnem causam intelligatur, docet nos *Calvinus* in *Lexic. juridico* sequentibus:

*"His verbis uti solet lex, quoties fructus,
„per-*

„ pertinentia, accessiones et redditus, veluti
 „ in unum fascem colligere vult: quasi di-
 „ cat, quidquid causam duxerit provenien-
 „ di quovis modo ex re aliqua.

Condemnandus itaque est fidejussor in usuras,
 si accedens str. jur. negotio non solum ratione sortis,
 sed etiam ratione accessionum, fructuum et redditu-
 um fidejussit. *Causeae* enim vocabulo etiam usu-
 rae continentur. Consentunt quoad hanc thesin
 omnes omnino DDres et probationis causa LL.
 diversimode allegant. Illis autem serio contem-
 platis heic non applicandas esse eas judico, dum
 plerumque in illis non de str. jur. negotio, sed de
 contraetu b. f. sermo est, ut appareat ex L. 5. C.
 de pactis inter emtor. Bonae fidei contractus quod
 spectat, Brunnemannum in distinctionibus prolatis
 sequar. Intercedit enim fidejussor aut nulla ex-
 pressa quantitate certa, aut in certam ac determi-
 natam summam tantum fidem suam interponit,
 hoc casu LL. Romanae et inter eas praecipue
 notanda L. 68. ff. de fidejussoribus eum tan-
 tummodo ratione sortis, neutiquam vero rati-
 one usurarum obligatum sistunt. Priorem ca-
 sum quod attinet, DDres fidejussorem ad praesta-
 tionem

VI

tionem usurarum condemnant, citantes L. 32. §. 2. ff. de *Vsuris* et L. 13. C. eod. tit. quia ex mora principalis tenetur. Instituta autem harum legum lectione eaque persaepe repetita, nihil ibi lector de fidejussoribus inveniet. Difficili negotio igitur fidejussor ex his textibus erit condemnandus, nisi nota illa regula heic applicetur: **ACCESSORIUM SEQVITVR SVVM PRINCIPALE.**

Huic sententiae aliquo modo subscribens, adhuc quaedam de ea in fine adducemus, prius autem argumenta, quae *Stryckius* in *Vsu Moderno* pag. 436. et 37. in contrarium movere, enumeranda erunt. Omnibus fere hisce, quae jam dicta, prius adductis, postea et distinctiones et regulas dignatur, unico arguento motus, quod scilicet differentia inter contractus b. f. et str. jur. per R. I. de ao. 1600 et noviss. plane sit sublata. Si igitur debitor principalis usuras promisit, *Stryckius* fidejussorem ad earum praestationem condemnat, et si a debitore non promissae, sed ex mora debentur, idem dicendum esse affirmat, quoniam, ut verbis *Stryckii* utar,

" et hac parte hodie inter contractus b. f. et str.
" jur, non distinguitur, et hinc quidquid
in

*"in obligatione principali obtinet, illud et
,, iam intuitu accessoriae obtinere debet."*

Vnicum tantum casum secundum LL. Romanas decidit, si nempe prorogatio solutionis consentiente creditore facta, quo casu ex L. 54. ff. locati affirmat, prorogationem tantummodo quoad continuandam, haud vero quoad augendam obligationem fidejussori nocere.

Tam generali sententia nullis limitationibus circumsepta hanc dirimit controversiam. Non me fugit, argumentum magni esse ponderis, sed ita comparatum esse, ut semper fidejussorem debitorem usurarum constituat, plane non video.

R. I. allegati nil novi inducunt, quam quod judici liceat, principalem debitorem etiam ex str. jur. contractu obligatum in usuras condemnare; sive ratione usurarum differentia illa inter b. f. et str. jur. contractus tantummodo est sublata.

Hinc non adparet, et fidejussorem ad solvendas usuras condemnari posse. Rationem quidem allegat Stryckius: quia accessorium sequitur suum principale, et illud quod in principali obligatione obtinet, etiam ratione accessoriae obtinere debet;

videar.

VIII

videamus vero in quantum haec sententia adprobanda, in quantum limitanda erit.

Nemo inficias ibit, quod fidejussioni per stipulationem factae, et si stricti juris contractus per R. I. quoad usuras mutati sint, attamen natura negotii adhuc insit, qua ex causa sollemnitas verborum etiam attendenda, et et si hodie fidejussio ut plurimum vel per pactum nudum, vel per constitutum fieri soleat, et non sollemnitate verborum sed plerumque tantummodo per subscriptionem perficiatur, attamen L. cit. 68. ff. de fidejussionibus judici injungit animum referre in sententionando ad verba contrahentium, verbis:

„lecta subscriptione fidejussionis.“

Quilibet enim verborum suorum interpres, et nemo ultra intentionem suam obligari nec ultra cogitata condemnari potest. Vid. *Wesenbec.* p. i. C. XIV. nr. 88 et 89. sicque ultra mentem et verba expressa fidejubentis, quae plus operantur quam scriptura praecedens, fidejussio effectum non extendit. Verba enim debent inservire intentioni, non intentio verbis, L. 69. pr. ff. de Legatis III. cap. secundo requiris 41. X. de appellationibus.

Quis

Quis est, qui neget, fidejussorem ad solutionem usurarum obligatum esse, si dixerit: **Für Capital und Zinsen will ich als Bürge haften;** aut si tam generali formula usus sit: **Für Titium sage ich hiermit gut.** Et aequitas et LL. eum ad usurarum praestationem obligant. Sed quo jure statui potest, fidejussorem debitorem usurarum esse, si chirographum, in quo etiam usurae promissae erant, subscriptis, verbis: **Für obiges Capital will ich mich verbürget haben.** Nullam condemnationis rationem video, et DDres meae sententiae ad stipulantes heic adducere possem, nisi angustia paginarum illud prohiberet, et nonnulli ex alio plane fundamento meae sententiae subscriberent; attamen celeberrimi *Conradi*, quondam fulcri et ornamenti hujus Academiae Dissertationem: *de Fidejussore in majorem summam quam quae debetur adhibito §. XXI* et sequentibus, heic allegare e re duco. Liberat enim fidejussorem a praestatione usurarum, non motus abrogata illa distinctione Romana inter b. f. et str. jur. contratus, sed solummodo, prout LL. disponunt, verba et subscriptionem fidejussorum spectans. Tantum de fidejussore obligationi in qua usurae pro-

B

missæ

missae accedente. Addamus adhuc quaedam de
nsuris, quae ex mora solvuntur. Distinguendum
esse ratione morae, inter omnes constat, quum a-
lia sit mora debitoris principalis, alia fidejussoris.
Si fidejussor est in mora, poenam ejus solvere tene-
tur, simulac de solutione fortis, pro qua interces-
sit, conventus et interpellatus, aut certa praefixa
die, cum dies interpellat pro homine, praeterlap-
sa, L. 12. C. de contrahenda et committend. *stipulat.*
Usurae vero, quae tantum ex mora debitoris prin-
cipalis petuntur, non sunt a fidejussore solvendae,
etiamsi *Stryckius* loco citato hocce defendere cu-
pit. Ita sentit *Wesenbec.* in *Paratit.* ff. de *fidejussori-ibus* nr. 6. *Colerus* de proc. executiv. p. 1. c. 19. nr.
357. sequent. Imo L. ult. ff. de *fidejussoriibus in fin-*
claris verbis contrarium profert:

“ *hoc enim non debet imputari fidejussoribus,*
“ *quod ille (nempe Debitor principalis) pro-*
“ *pter poenam suam praestitit.* ”

Non distinguit autem haec lex inter b. f. et str.
jur. contraetus, et hac ex causa per R. I. non pot-
est dici abrogata. Ea autem, quae *Stryckius* h. l.
profert, assequi nequeo, nisi de eo casu ibi sermo-
fit

sit, si fidejussor se constituit principalem debitorem, als einen Haupt- oder Selbst-Schuldner. Latiorum citatae L. ult. explicationem qui desiderat, adeat Plotum de in litem jurando. Vnicuique igitur sua mora nocet et alterius mora alteri non nocet. L. mora 32. §. 4. ff. de usuris, L. 173. §. 2. ff. de diversis regulis juris, sicque iniquum foret, ex facto alterius fidejussorem damnum pati, secundum L. 17. ff. de noxal. act. L. 44. ff. de hered. instituend. c. 25. de reg. jur. in 6to. Plures de hac materia DDrum opiniones heic proferre data mihi esset copia; sufficiant autem haecce, dum officium quoddam majoris adhuc momenti mihi incumbit.

Meum est HONORATISSIMI COMMILITONES,
VOBIS maximas persolvere gratias pro ea benevolentia, qua me mense praeterito amplexi estis. Maximo mihi honore duxi, VOBIS ea, quae a beato patre adhuc inexplicata erant, proponere, et VESTRO ardore, VESTRA industria factum est, ut memoria tristis illius eventus, qui praelectionibus meis ansam dedit, aliquo modo mihi sit obscurata. Alias jam praelectiones instanti semestri aestivo habendas indicans, officia mea Vobis decenter offero. Erit autem

B 2

I) ho-

- I) hora VII^{ma} matutina *textui Institutionum*
destinata, quem ex Historia et Antiquita-
tibus explicare adlaborabo;
II) hora IX^{na} *Indicem Iuris Civilis* beati Patris
interpretabor;
III) hora III^{tia} pomeridiana principia Iuris Ec-
cles. duce Compendio Schmidii sub titulo:
Institutiones Iuris prudentiae Ecclesiasticae ad-
dito processu consistoriali ad usum fori Evan-
gelici methodo systematica adornatae tradam,
similque ea, quae pontificios solummodo
spectant, in quantum fieri potest, addam.

Denique et iis officia mea offero, qui collegia
examinatoria et Disputatoria desiderant. Et haec
sunt HONORATISSIMI COMMILITONES,
quae in gratiam VESTRAM suscipere mihi pro-
posui. Adeste igitur et conatibus meis favete.
Faxit autem D. T. O. M. ut omnia vergant in ipsi-
us gloriam et proximi utilitatem. Dabam in
Academia Iulia Carolina die XXIX. Aprilis
MDCCLVII.



ULB Halle
005 382 203

3





Pri. 16. Mus. 13.

1757, 6

b

8

GEORGII AVGUSTI TOPPII

I. V. D.

D E

FIDEIVSSORE
VSVRAS SOLVENTE

ET NON SOLVENTE

PROGRAMMA

L E C T I O N I B V S

P E R S E M E S T R E A E S T I V V M

HABENDIS PRAEMISSVM

HELMSTADII SAXONVM.

